

prima, etiam si admittatur, non probat irregularitatem, sed quoddam aliud impedimenti genus, de quo jam dictum est. Deinde hoc etiam non probat; nam quantumvis minister Ordinis sit illiteratus, potest ordinato evidenter constare, an adhibuerit materiam, et formam necessariam ad valorem sacramenti, ut per se notum est. Secunda vero ratio assumit falsum, quia nulla est suspensio ipso facto incurrenda propter solam illiteraturam, ut constat ex cap. ult. de *Ætate et qualitate*, ubi Papa de quodam Episcopo adeo illiterato, ut grammaticam nesciret, non dicit, *eum suspensum declaramus*; sed, *a Pontificali officii executione duximus amovendum*. Ubi expositores dicunt, Episcopum sic ignorantem esse secundum jus deponendum, non vero esse ipso jure depositum. Nec fuit expediens talem censuram imponi ipso jure, quia incertum valde est, quæ ignorantia sit sufficiens causa ad talem depositionem; et ideo donec a iudice declaretur talis causa, et imponatur pœna, non incurritur. Quod maxime procedit juxta novum jus Concilii Constantiensis in ordine ad præsentem irregularitatem. Nam etiamsi illiteratus esset ipso jure suspensus, nunc non tenetur quis illum vitare, donec nominatim declaratus sit.

11. *Ordinatus ab Episcopo idiomatis diversi, an sit irregularis.* — Decimo quinto dicitur esse irregularis, qui ordinatur ab Episcopo idiomatis diversi, ut Græcus a Latino, vel Latinus a Græco. Ita Maiol., in dict. lib. 4, cap. 32, ex cap. Cum secundum, et cap. Ex parte, de Temporib. ordinat. Sed in priori prohibetur quidem similis ordinationis modus, nulla tamen pœna adhibetur. Verba enim Pontificis sunt: *Nolumus de cætero commistiones et consuetudines rituum in Ordinibus observari*. Cum ergo ibi nulla pœna feratur, nulla irregularitas, aut suspensio incurritur ex vi talis ordinationis, etiamsi cum peccato fiat transgrediendo legem illam. In quo ulterius considero, ibi non prohiberi commistionem propter diversum idioma, sed propter diversos ritus Græcorum, et Latinorum, ut ibi expresse advertit Abbas. Alius autem textus immerito citatur, quia non loquitur de hac materia; et per argumentum a simili posset in contrarium adduci. Nam ibi solum dicitur, monachum, qui ex uno ordine ad alium transit, et ibi ordinatur, posse licite susceptum Ordinem exercere, si aliud canonicum impedimentum ei non obsistat, quia nimirum propter illam

ordinationem nulla suspensio jure lata est; simili ergo modo in præsentem nos concludimus. Juvat denique cap. Quoniam, de Offic. ordin., ubi præcipitur, ut in eis Episcopatibus, ubi sunt populi diversarum linguarum, habentes sub una fide diversos ritus et mores, constituentur vicarii, qui singulis populis ministrent divina officia et sacramenta, juxta uniuscujusque ritum, et non fiat permixtio, et contra violantes illam legem ponitur excommunicatio ipso facto; et, si non resipuerint, dicuntur deponendi; nulla tamen irregularitas, vel depositio ipso jure imponitur, ideoque nulla incurritur in eo casu, ex omnium sententia; idem ergo est in præsentem casu.

12. *An ordinatus a duobus Episcopis simul fiat irregularis.* — Quid si divisio illa fuit in substantialibus Ordinibus. — Decimo sexto dicitur irregularis, qui a duobus Episcopis simul ordinatur, uno proferente formam, et alio ministrante materiam. Ita Maiol., supra, c. 30. Sed impropriissime hæc inter irregularitates numeratur, quia vel illa divisio ministerii fit in his, quæ pertinent ad substantiam sacramenti, et tunc ordinatio nulla est, ideoque qui sic ordinatus est, non potest dici irregularis ad usum Ordinis sic recepti, ut in simili supra probatum est, quia revera nullum Ordinem accepit. Et ita intelligi potest cap. Quorundam, d. 23, ubi de quibusdam sic ordinatis dicitur, *gradum sacerdotii vel levitici Ordinis, quem perverse adepti sunt, amittant*, ubi videtur ordinatio fuisse nulla, quia Episcopus cum quodam presbytero ita ministerium diviserat, ut Episcopus manus imponeret, presbyter autem formam proferret; hoc enim ibi significari videtur cum dicitur *benedictionem dedisse*. Hoc autem est contra substantiam ordinationis, quia necesse est, ut forma ab ipso ordinante proferatur etiam in minoribus Ordinibus; et in majoribus simul necessarium est, ut idem ordinator per seipsum substantialem materiam applicet, juxta cap. Subdiaconus, d. 23; in Ordinibus autem minoribus non est semper necessarium, ut Episcopus per se immediate tradat materiam, ut de acolythis significatur in c. Acolythus, d. 23, et fatetur D. Th., in 4, d. 25, quæst. 1, art. 1, ad 2. Sed de hoc alibi latius, nam ad præsens satis est, quando divisio secum affert substantialem defectum, non inducere irregularitatem, sed nullitatem. Unde quod dicitur in dict. cap. Quorundam, clericos illos debere amit-

tere quod adepti sunt, consequenter exponendum erit, id est, declarari, non habere id, quod adipisci tentarunt, ut ibi Glossa significavit. Nec ex tali ordinatione alia incurritur irregularitas ad usum aliorum Ordinum, si qui erant prius legitime recepti, ut ex prædicto textu aperte colligitur, nam in eo solum dicitur ut amittant quod perverse receperunt. Neque etiam incurritur irregularitas impediens receptionem illius Ordinis non rite suscepti, vel superiorem, ut ex eodem textu eadem proportione colligi potest; et quia in nullo alio jure talis irregularitas expressa est.

13. *Qui absque aliqua cæremonia accidentali necessaria ordinatus est, non potest in Ordine ministrare, donec suppleatur.* — Vel divisio illius ministerii est tantum quoad accidentalem solemnitatem, et tunc si Episcopus omnia, quæ sunt de substantia Ordinis, rite perficiat, ordinatio valida erit, etiamsi alteri committat solemnitatem aliquam accidentalem. Quo sensu intelligit Turrecr. cum aliis dict. c. Quorundam. Et indicavit etiam Cajetan., 3 part., quæst. 67, art. 6, quamvis priorem etiam interpretationem non rejiciat. Et in eo casu nulla est etiam irregularitas imposita sic ordinato, vel ad usum Ordinis sic suscepti, vel ad superiores recipiendos, quia nullo alio jure invenitur, neque in dicto cap. Quorundam, fertur, nam ibi non jus statuitur, sed solum refertur sententia lata in quodam particulari facto contra quosdam male promotos; neque illa fuit irregularitas, sed depositionis pœna, quod patet ex Concil. Hispanensi II, cap. 5, ex quo textus ille sumptus est, quod sic habet: *Hi non consecrationis titulum, sed ignominie potius elogium perceperunt*. Quæ verba priorem sensum indicant, quamvis juxta phrasim antiquorum canonum possint etiam exponi de ordinatione non substantialiter irrita, sed non convenienter facta juxta Ecclesiæ consuetudinem; juxta hunc vero sensum subditur: *Ne sibi licentiam talis usurpatio faciat, decrevimus, ut agradu sacerdotalis, vel levitici Ordinis, quem perverse adepti sunt, depositi, æquo judicio abjiciantur, tales enim merito judicati sunt removendi, quia prave inventi sunt constituti*. Quæ omnia verba nullam continent pœnam ipso jure latam, sed ferendam, etiamsi admittamus cadere super ordinationem substantialiter validam; ergo nullum habemus fundamentum ad asserendum in eo casu incurri irregularitatem. Solum est advertendum, quoties contigerit aliquem ordinari sine aliqua cæremonia,

et solemnitate accidentali, juxta ritum Ecclesiæ necessaria, ut esset, v. gr., unctio aliqua, vel manus impositio accidentalis, tunc non debere, neque posse licite sic ordinatum uti Ordine suscepto, donec defectus ille suppleatur, argumento textus in cap. unic. de Sacra unctione, in principio, et in cap. 4 et ult. de Sacramentis non iterandis. Id autem non est propter irregularitatem, vel aliquam pœnam ipso jure impositam; hæc enim nulla est, licet arbitrio judicis sit imponenda juxta Gloss. in cap. Quod sicut, § Super eo, v. *Dividatur*, de Elect. Sed provenit ex eo quod ille non censetur integre et sufficienter ordinatus juxta Ecclesiæ ritum, et ideo donec in ipso compleatur, uti non debet Ordine suscepto, sicut baptizatus sine solemnitate non est confirmandus, donec sollemnis ritus baptismi circa illum perficiatur. Potest autem in eo casu secrete suppleri defectus ille per Episcopum absque alia dispensatione, et tunc poterit libere uti Ordine suscepto, et ad altiores ascendere, nisi per aliquam hominis sententiam impediatur.

14. Ultimo loco hic dici posset de illo, qui nondum suscepto confirmationis sacramento ordinatus est, an inde contrahat aliquod impedimentum. Sed quia res est facilis, breviter dicendum est, in eo casu recipi characterem Ordinis, et usum ejus, absque novo impedimento ascendendi ad superiores Ordines. Primum certissimum est, quia character confirmationis, sicut non est necessarius ad valorem aliorum sacramentorum, ita neque ad valorem Ordinis. Secundum etiam patet, quia nullo jure tale impedimentum latum est; nec culpa illa adeo gravis, ut tanta pœna censeatur digna. De qua videri possunt dicta in 3 tomo, disput. 38, sect. 4. Dixi autem non contrahere novum impedimentum, quia ipsamet carentia confirmationis aliquale impedimentum est, et illud semper manet, donec tale sacramentum recipiatur.

## SECTIO IV.

Utrum, per indignam Ordinis usurpationem incuratur irregularitas.

1. *Sensus questionis.* — Dupliciter administrantur sacramenta, primo a ministro, cui per se et ex officio hoc convenit, qui ad illud munus per se consecratus est; secundo propter necessitatem a quocumque ministrante, quod peculiare est in baptismo, et extenditur ad matrimonium, quatenus ab ipsismet contra-

hentibus efficitur. Hic ergo non est sermo de posteriori modo; suppono enim ex tali ministerio, etiamsi indigne, aut contra Ecclesiasticam prohibitionem fiat, non incurri irregularitatem, quia non invenitur in jure expressa; agimus ergo de priori modo, qui semper pertinet ad ministerium alicujus Ordinis. Quia vero ministerium Ordinum, et sacramentorum collationem, et plura alia officia Ecclesiastica comprehendit, ideo generaliter de toto usu activo seu ministerio Ordinum dicendum est. Dupliciter autem peccari potest in hoc ministerio, scilicet usurpando ministerium Ordinis non habiti, vel male utendo Ordine habito. Hic de priori modo, de posteriori in sequenti sectione dicemus.

2. *Prima expositio c. 2, quoad suspensionem Ordinis jam suscepti.* — Regula igitur generalis sit, irregularitatem incurri aliquem Ordinem usurpando, id est, ministrando in Ordine quem non habet. Ita colligitur ex c. 4 et 2 de Cler. non ord. ministr. Duplex enim pœna in eo cap. 4 imponi videtur hujusmodi usurpatori Ecclesiastici ministerii. Prior continetur in illis verbis, *Abjiciatur de Ecclesia*, quæ videntur excommunicationem significare, non ipso jure latam, sed ferendam, nam verbum illud, *abjiciatur*, hominis ministerium requirit. Alia continetur in illis verbis, *Nunquam ordinetur*, quæ aperte significant irregularitatem. Advertendum autem est, hanc irregularitatem incurri posse vel a clerico, vel a laico; a clerico quidem, si ministret in superiori Ordine, quem non habet, et de hoc certum est incurri hanc irregularitatem, ita ut perpetuo promoveri non possit, ut expresse dicitur in dict. cap. 2. De ministerio autem in Ordine jam suscepto dicitur ibidem, tantum manere suspensum ad tempus ad Episcopi arbitrium. Unde videtur quoad hunc effectum illam non esse irregularitatem, sed suspensionem, atque adeo irregularitatem hanc in clerico non esse totalem, sed tantum quoad Ordines nondum susceptos, cum illa vero conjungi temporale impedimentum suspensionis, quoad Ordinem jam susceptum. Imo si attente legatur dict. cap. 2, non videtur imponi suspensio omnium Ordinum prius susceptorum, sed tantum postremi, seu præcipui ex illis. In casu enim illius textus diaconus sacrificandi officium usurpaverat, propter quod prohibetur ad sacerdotium promoveri, suspenditur autem a diaconatu. Unde juxta regulas superius datas de suspensione, ille non videtur mansisse suspensus a subdia-

conatu et infra, sicque Abbas ibi dicit, illum manere suspensum a diaconatu, de inferioribus vero nihil dicit.

3. *Secunda expositio.* — At vero Hostiensis latius videtur loqui de Ordinibus susceptis; et eodem modo loquitur Angel., v. *Irregularitas*, n. 38; et Sylvest., v. *Dispensatio*; et significat Navar., n. 243, in fine, et clarius Maiol., lib. 4, cap. 43, n. 3, et alii auctores simpliciter dicunt hunc manere irregularem, nulla facta distinctione de promotione ad Ordines non receptos, vel de usu receptorum. Ac denique in dict. cap. 4, absolute irregularitas fertur pro hoc delicto, talisque est respectu laici, ut statim dicam; cur ergo non similis erit respectu clerici? Juxta quam opinionem aliter exponendum est d. c. 2, nimirum, diaconum illum sacrificando mansisse simpliciter irregularem, et suspensionem, de qua ibi est sermo, non fuisse distinctum impedimentum ab irregularitate, sed ex vi illius ortam, ideoque non tantum esse a diaconatu, sed etiam a reliquis inferioribus Ordinibus. Solum ergo est ibi constituta differentia quoad dispensationem, quia illa irregularitas quoad effectum non ascendendi, non committitur Episcopo, sed Papæ reservata manet, ut Hostiensis, Abbas, Angel., Sylvest., Navarr., et communiter omnes docent contra Glossam ibi. Quæ contrarium sensit, quia talis dispensatio non prohibetur Episcopo. Sed melius colligeret, quia ei non conceditur, ideo eam non habere. At vero dispensatio in illa irregularitate quoad alium effectum non utendi Ordinibus susceptis, conceditur Episcopo in illo textu; nominatur autem specialiter diaconatus, non quia in aliis liceat sine dispensatione ministrare, sed ut significetur, concessa potestate dispensandi in illo, concedi etiam ad dispensandum in inferioribus. Nec obstat, quod illa suspensio videtur fuisse ad tempus, ut indicant verba illa, *biennio vel triennio*; non enim ita est, sed est illa suspensio de se perpetua, donec dispensetur. Nec Pontifex in eo loco præscribit, ut suspensio illa tantum per biennium vel triennium duret, sed potius indicat, ut ante illud tempus non detur dispensatio; concedit autem, ut postea dari possit, ad id tamen non obligat, sed arbitrio Episcopi id committit; hoc enim significant illa verba, *Pro tua maneat provisione suspensus*, id est, secundum quod tibi visum fuerit. Et juxta hanc interpretationem consequenter dicendum est, si talis diaconus, non obstante tali impedimento, in suo Ordine

ministret, non incurri novam irregularitatem, quia illa non est propria suspensio, sed irregularitas; irregularis autem ministrando non incurrit novam irregularitatem, ut supra visum est.

4. *Prior expositio præfertur.* — Hæ opiniones probabiles sunt; mihi tamen prior magis probatur, tum quia tota illa interpretatio c. 2, minus simplex, minusque usitata videtur, cum tamen ad illam opinionem tuendam videatur necessaria; tum etiam quia materia odiosa potius est lenienda, quam restringenda; per illam vero expositionem plus ampliatur pœna, quam verba legis cogant. Recte ergo intelligitur illa pœna quoad Ordines jam susceptos de suspensione solius diaconatus, quia in lege ita limitatur. Intelligitur etiam optime de suspensione ad tempus, ut expresse Panormitan. exposuit, et patet ex illis verbis, *biennio vel triennio*. Quod autem subjungitur, *pro tua provisione*, intelligitur quoad arbitrium inter illos duos terminos, non vero quod etiam ultra triennium possit voluntate Episcopi amplius durare illa suspensio. Atque ita concluditur, irregularitatem, quam contrahit clericus ministrans in Ordine superiori, quem non habet, tantum esse quoad promotionem ad Ordines superiores, habere tamen adjunctam suspensionem temporalem unius tantum Ordinis jam suscepti, scilicet, illius, qui fuerit supremus inter Ordines jam receptos a clerico. Hinc vero consequenter fit, si diaconus, v. gr., ministret in diaconatu ante ablatam suspensionem, irregularem fieri denuo, quia violat propriam suspensionem.

5. *Clericus per saltum promotus qui in prætermissio ministrat, an sit irregularis.* — *Resolutio.* — Sed occurrit obiter dubium de clerico per saltum promotus ad diaconatum, v. gr., qui ministrat in subdiaconatu, quem prætermisit. Ad hoc dubium respondeo, illum in primis manere irregularem quoad talem Ordinem suscipiendum ex dict. c. 1. Unde fit, ut etiam maneat irregularis ad ascendendum ad superiores Ordines; et consequenter sequitur illum esse perpetuo impeditum ab executione diaconatus, quia irregularitas privans subdiaconatu, privat quantum est ex se diaconatu, ut est manifestum in clerico in minoribus constituto, ministrante solemniter in subdiaconatu, quem non habet; ille enim irregularis manet, ne possit ascendere ad subdiaconatum, et consequenter omnino privatur diaconatu; ergo quando tale impedi-

mentum invenit diaconatum jam receptum (quod accidentarium est), cum non possit ipsum characterem expellere, saltem impedit perpetuo usum ejus.

6. *Objectio.* — *Solutio.* — Dices: ergo majori pœna afficitur diaconus ministrans in subdiaconatu, quem non habet, quam in sacerdotio, quia propter illud delictum perpetuo privatur usu diaconatus, propter hoc vero solum ad tempus. Item propter illud excluditur a susceptione subdiaconatus et sacerdotii, propter hoc vero tantum sacerdotii privatur. Consequens autem videtur inconveniens, quia illud posterius gravius delictum est. Respondetur, illud non esse absurdum, quia in hac pœna attendendum est ad bonum, quo immediate privat, et hoc majus est in privatione sacerdotii, quam subdiaconatus, licet inde consequatur aliud gravius incommodum. Adde, licet ex parte objecti deformius sit sacrificare sine sacerdotio, quam cantare solemniter Epistolam sine subdiaconatu, tamen quando hoc posterius fit post ordinationem per saltum, et post novum impedimentum inde contractum, majorem intervenire contumaciam, et inde posse delictum augeri, et fieri majori pœna dignum in foro Ecclesiæ. Nihilominus tamen verisimile mihi est, in eo casu non incurri specialem illam pœnam suspensionis a diaconatu latam in dicto cap. 2, quia illa specialiter lata est in eum, qui ministravit in Ordine superiori, quem non habet; et ideo non oportet eam extendere ad eum, qui solum ministravit in inferiori Ordine prætermissio, maxime cum alio titulo privatus maneat executione diaconatus, ut dictum est. Quod si hoc ita est, multum minuitur illa pœna, quia per se privat subdiaconatu, superioribus vero tantum consequatione quadam, ideoque obtenta dispensatione ad recipiendum subdiaconatum, et illo recepto, consequenter manet ablatum omne impedimentum circa superiores Ordines exercendos, vel recipiendos. Ut autem talis dispensatio legitima sit, oportebit in petitione dispensationis exprimere impedimentum illud, ut contractum per administrationem in Ordine prætermissio in altera ordinatione per saltum.

7. Sed quid, si sacerdos simplex ministret in Episcopali Ordine, quem non habet, confirmando, ordinando. Respondeo, per illud ministerium incurrit irregularitatem, quia licet inter Canonistas, et Theologos sit dissensio, an Episcopatus sit Ordo, necne, tamen quoad hunc effectum omnes conveniunt ita esse lo-

quendum de functionibus Episcopalis consecrationis, sicut de ministerio cujuscumque Ordinis sacri, quia vel Episcopus revera est Ordo, vel certe reputatur tanquam Ordo, quatenus essentialiter includit characterem sacerdotalem, qui ex vi talis consecrationis extenditur, et quasi elevatur ad illas functiones, quæ sunt propriæ consecrationis Episcopalis. Unde in prædicto casu sacerdos solum manet irregularis, ne in Episcopum consecrari possit; in sacerdotio vero manebit suspensus biennio vel triennio arbitrio Episcopi; ab executione autem inferiorum Ordinum non manebit impeditus, juxta d. c. 2 de Cler. non ordin. ministr., ejusque intellectum, quem sequimur.

8. *Quid si diaconus Pontificalia usurpet, aut subdiaconus sacerdotalia.* — Sed quid, si diaconus Pontificalia usurpet, aut subdiaconus sacerdotalia? numquid manebit ille irregularis quoad promotionem ad sacerdotium, et hic ad diaconatum? Nam hic casus in textu illo non definitur, et ex eo tantum videtur colligi, puniri hunc in eo, in quo deliquit, id est, ut careat eo, quod usurpavit, ut ibi Glossa et Doctores notarunt; ergo in rigore solum impeditur ascendere ad eum Ordinem vel consecrationem, cujus ministerium usurpavit, non vero ad inferiorem, in quo non ministravit, quia hæc privatio non sequitur ex illa; potest enim quis privari superiori Ordine, quamvis non privetur inferiori, ut per se notum est. Sed fortasse quis dicet usurpationem superioris Ordinis esse virtutalem quamdam usurpationem Ordinis intermedii, ideoque incurri irregularitatem, quæ impediatur ascendere ad utrumque. Sed hoc de virtuali usurpatione fortasse in rigore verum non est, quia licet unus Ordo alium supponat, non tamen se virtualiter includunt, præsertim in suis actionibus et ministeriis. Et præterea, consideratio illa nimis speculativa est, ad extendendam pœnam in lege non expressam; alioqui consequenter dicendum esset, qui in quocumque Ordine, quem non habet, ministrat, manere irregularem simpliciter quoad omnes inferiores Ordines, vel ut non recipiat quos non habet, vel ut eis non utatur, si quos habet; cujus oppositum probabilius esse diximus. Unde ex vi illius cap. 2 videbatur dicendum in dictis casibus solum incurri irregularitatem ad non recipiendum Ordinem, qui usurpatus est; circa intermedium vero non incurri propriam irregularitatem, sed temporalem suspensionem, pro

eo scilicet tempore, pro quo manet talis clericus suspensus in suo principali Ordine jam suscepto. Ut, v. gr., si subdiaconus sacerdotium usurpet, ad sacerdotium non poterit absolute promoveri, et quia a subdiaconatu manet suspensus triennio, pro eodem tempore non poterit ad diaconatum ascendere, quia dum quis est ab inferiori Ordine suspensus, non potest ad superiorem promoveri, ut supra visum est; tamen finita illa suspensione, ex vi illius textus non videtur hic manere impeditus, quominus ad diaconatum promoveri possit. Dico autem ex vi illius textus, quia considerata dispositione cap. 4 ejusdem tituli, sic delinquens irregularis efficitur ad quemcumque Ordinem de novo recipiendum, quia ibi absolute dicitur, *Non ordinetur*, quod magis in sequenti puncto declarabitur.

9. *An consecratus Episcopus prætermissio diaconatu, aut alio inferiori Ordine, sit irregularis exercendo Pontificalia.* — Ultimo quæri potest, quid si Episcopus sit consecratus per saltum prætermissio diaconatu, vel inferiori alio Ordine, an fiat irregularis exercendo Pontificalia. Dico autem prætermissio, etc., quia si sacerdotium fuisset prætermissum, nulla esset consecratio Episcopalis, et sic ministrando Pontificalia sine dubio incurreretur irregularitas juxta dicta. At in alio casu distinguendum est; aut enim confert Ordinem, quem non habet, aut alium, quem habet, vel exercet quemcumque alium actum Pontificatus. In hoc posteriori casu non manet irregularis ex hoc capite, quia non potest dici ministrare in Ordine, quem non habet; incurreret vero aliam, quia ministrat suspensus, nisi dispensatus sit. In alio vero casu videtur incurrere irregularitatem, quia confert Ordinem, quem non habet; quod maxime verum erit juxta opinionem communem, quod talis ordinatio est nulla, quia ad conferendum quemcumque Ordinem necessarium est habere illum, licet non sufficiat sine consecratione Episcopali, de qua latius, in 4, dist. 25, ubi ita sentit D. Thom., quæst. 4; Palud. et alii, et Summistæ, verb. *Ordo*; Maiol., lib. 4, cap. 4, num. 9.

10. *Conclusio.* — Dicendum etiam superest de laicis, an usurpantes hæc ministeria clericorum, hanc etiam irregularitatem incurrant. Quod dubium tetigi in 3 tom., disp. 31, sect. 4, in fine. Ubi improbavi opinionem negantem laicum incurrere hanc irregularitatem, et plures auctores pro hac sententia

retuli, quam omnino veram esse censeo. Hic vero ulterius explicandum occurrit, qualis sit hæc irregularitas, an scilicet totalis sit, ita ut nullum Ordinem suscipere possit qui sic deliquit, an vero aliqua sit limitatio adhibenda. Et ratio dubitandi est, quia clericus non incurrit totalem irregularitatem, ut dictum est, sed tantum quoad promotionem aliquorum Ordinum; ergo cum eadem proportionem de laico judicandum est. Considerandamque erit, in quonam Ordine laicus ministraverit; et dicendum, eum manere irregularem quoad receptionem talis Ordinis, et superiorum ejus, non vero quoad receptionem inferiorum, in quibus nihil deliquit. Nam si clericus quoad usum illorum non manet irregularis, cur debet manere laicus ad eorum receptionem? Nihilominus dicendum est, laicum usurpantem quodcumque ministerium sacrorum Ordinum, excludi omnino a clericatu, ita ut nullum vel minimum Ordinem recipere possit. Hæc est communis sententia auctorum, quos supra retuli; et colligitur ex dict. cap. 1, dicente simpliciter, *non ordinetur*, quæ cum sit absolute negativa locutio, universali æquivalet, nec potest a nobis limitari, nisi forte ex parte personæ, et juxta dispositionem alterius legis, scilicet, cap. 2, ejusdem titulo, et juxta communem interpretationem, quæ habet, eum, qui committit hoc crimen, non posse aliquem Ordinem recipere, quem non habet; unde cum laicus nullam habeat, nullum potest recipere. Nec refert, quod hæc pœna major respectu laici esse videatur, tum quia hoc est accidentarium, quia pœna ex se universalis est; tum quia major etiam temeritas videtur esse in laico, quod audeat sese divinis ministeriis ingerere. Atque hoc modo videntur intellexisse irregularitatem hanc fere omnes auctores, quamvis non ita distincte illam explicaverint.

*Quæ carentia Ordinis requiratur ad irregularitatem incurrendam.*

11. Jam vero explicare necesse est, quid requiratur ad hanc irregularitatem incurrendam. Duo enim concurrere necesse est: primum est carere Ordine; secundum est ministrare in tali Ordine; et circa utrumque aliqua notanda sunt. Circa primum contingere potest, ut Ordo omnino receptus non sit etiam exterius, et tunc nulla excusatio nec ignorantia locum habet. Potest item accidere,

ut Ordo sit receptus, sed tamen cum substantiali defectu, et tunc posset ignorantia excusare; per se tamen sufficit ille defectus ad irregularitatem, juxta communem sententiam, quia illa ordinatio nulla fuit. Potestque confirmari ex dict. cap. 2, ibi, *cum non imposuisses ei manus*, si præcise illa verba pro tali cæremonia sumantur, quæ in illo Ordine censetur esse substantialis, ut late Bellarmin., lib. 6 de Ord., cap. 9, et dicitur sequenti tomo. Dico autem, si illa verba ita intelligantur, quia satis convenienter possunt pro tota ordinatione sacerdotali accipi, ut ex contextu constat, et Glossa notavit, et statim dicitur.

12. *Quid si aliqua accidentaliter cæremonia prætermissa est.* — *Prima conclusio.* — *Secunda conclusio.* — *Tertia conclusio.* — *Objectio.* — *Responsio.* — Denique contingit Ordinem substantialiter esse receptum, et aliquid accidentale prætermissum esse, unctionem scilicet aliquam, vel quid simile, et tunc tria breviter dicenda sunt. Primum, illud, quod defuit, esse caute supplendum. Ita habetur in cap. 4 de Sacramentis non iterandis, licet in casu illius textus dubium sit, an cæremonia prætermissa fuerit accidentaliter, scilicet, manuum impositio; nam si Ordo ille fuit subdiaconatus, ut habet vulgaris lectio, fuit accidentaliter; si vero fuit diaconatus, ut alii legunt, et habetur in antiqua collatione 3 Decretalium, sic res est dubia, ut constat ex propria materia; sed in præsentem priorem lectionem sequimur. Secundo dicendum est, non esse utendum Ordine, donec suppleatur defectus. Ita colligitur ex eo cap. Licet, cum in eo supponatur potius quam exprimatur. Ratio vero est, quia non censetur absolute data potestas et executio, donec ordinatio perfecta sit. Quæres, quam grave peccatum sit. Respondetur, communiter censeri mortale, et ex suo genere tale est propter rationem factam; tamen ex levitate materiæ, si cæremonia prætermissa esset parvi momenti, poterit excusari. Nihilominus dicendum est tertio, per hanc culpam licet gravem non incurri irregularitatem. Est communis in dict. cap., et apud Summist., verb. *Irregularitas*; Sylvest., num. 44; Angel., num. 39. Ratio, quia nullo jure est expressa. Dices: ille sic ordinatus, propter defectum ordinationis, quamvis accidentarium, est suspensus ab executione Ordinis, donec defectus suppleatur; ergo sic ministrando efficitur irregularis. Respondetur negando antecedens; illa enim non est pro-